

2483

C O D I C E S

2484

boc regimen sacerdotes causas ipsius regiminis penitus ignorare &c. Mox infra Tractationis συνομιλια ita traditur: In qua doctrina hoc ordine procedemus. Primo enim supponemus que presbyteri scire debent. Secundo que eciam in quolibet delicto considerari oportet. Tercio qualis debet esse penitencia. Quarto de mortalibus et venialibus peccatis. Quinto cui sit confitendum. Sexto super quibus sit penitens ad episcopum remittendus. Autor neque Antonius de Butrio, nec Andr. Ep. Megarensis, nec Job. de Auerbach, nec Antoninus Archiep. Florent. nec Barth. de Chaimis est. Quisquis vero fuerit, in Jure Canonico se admodum versatum probat. Scripsisse non multo post Ordinum mendicantium initia ex iis liquet, quae fol. 20. leguntur: Fratres predicatorum et minores, de quibus nouvelle plante sunt — Cum ergo sint oculi ihesu christi, vellem eos non tantum sine trabe sed etiam sine festuca perpetuo perdurare &c.

V. fol. 96. *Examen hereticorum Hussitarum wiklefistarum a sacro concilio constancie spiritu sancto congregato directum. Lingua Bohemica. Examen ipsum constat Quaestionibus 16. A numero 17. sequuntur Decreta varia v. g. de Juramento Regis praestando circa tuenda Ecclesiae Jura de citandis Job. de Jessenicz, Jacobello de Strziebra, Simone Tyssnowiensi, Sim. Rokyczana, Christano de Prachaticz, Mich. Czizek de Malenycz et Marco Reginaebradec. de non communicando cum Hermanno suffraganeo Pragensi et Sacerdotibus*

ab eo ordinatis &c. Tandem de Paenis Haereticorum ante et post mortem. Quaestiones latine indicatae sunt Cod. DCCCCLXVIII. Decreta five Articuli extant et in Collect. Concil. et apud Cochlaeum in Hist. Hussit. ut ibi dictum est, sed in nostro Exemplo Bohemico inter citandos non nominantur Job. Cardinalis, Zdenko de Loben et Zdislaus de Swierzeticz.

DCXLIX.

Codex membraneus lat. Sec. 744 XV. Folior. 224. 8. luculente scriptus, rubricis distinctus, et, ut praenotatur, quondam fratrum in maurbaco Ord. Carth. post brevem Prologum, qui incipit: *Subsequens opusculum mesti conatur fratris mederi doloribus &c.* et Capitulorum XV. Elenchum ita minio insignitur: *Incipit liber qui vocatur remediarius abiectionis prioris seu prepositi editus cuidam fratri qui dolebat se inepte regiminis officio exutum &c.* Initium: *Afflicto scripturus fratri quod tuus ihesu christe suggererit spiritus &c.* Jam alibi indicatus. Ne pluribus immorer, typis prolatus est hic *Remediarius* a Bern. Petzio *Bibl. Ascet. T. II. Ratisb. 1723. p. 227. 8.* ubi tribuitur Michaeli, qui Carthusiae *Pragensis*, tum *Gyriacensis* in *Stiria*, demum *Agbacensis* in *Austria* Prior fuit, annoque 1401. decessit, notatus in *Bibl. Carth. Theod. Petreji* p. 246. tantum de *Custodia Virginitatis* scripsisse, qui *Tractatus* in *Pezii Bibl. cit.* nostrum antecedit. Quod *Petrejus Gyrium* five

2485

A S C R T I C I

2486

sive *Gyriacum* in *Slavoniae* regione collocat, ob linguam *Vindicam* factum reor, qua *Plebs* inferioris *Stiriae* utitur. *Carthusiae* hujus vernaculae *Geyrach* dictae et jam a. 1591. in sustentationem Alumnorum Cleri secularis adtributae *Chartae* extant inter *Diplomataria Sacra Stir.* P. II. *Vien.* 1756. p. 133. 4.

DCL.

203 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. nunc 31. f. rubricis distinctus, bonaeque notae ante Indicem Capp. hac gaudet inscriptione: *In nomine domini doctrina Monachorum patrum quam operibus peregerunt. apud orientem. quod exemplatum est ex codice abbatis theodori senioris. et abbatis theodori junioris. quem transtulit de greco in latino pelagius archidiaconus sancte ecclesie romane. et johannes subdiaconus eiusdem ecclesie ad instructionem et cautelam conuertentium in sancta religione.* Est is liber, quem *Photius Cod.* 198. titulo *Ανδρων άγιων Βιβλος* graecum legerat, quique illi *Συγκεφαλαιωσις και συνοψις τς μεγαλης Λειμωναρις* visus est. Autor tamen illum, perinde ut nos, latuit. *Capita* sive *Libellos* censet XXI. quorum primi titulus miniatus: *In nomine domini. Incipiunt adhortationes sanctorum patrum ad profectum perfectorum monachorum.* Initium: *Interrogavit quidam abbatem Antonium dicens: Quid custodiens placebo deo &c.* C. VII. n. 16. deficit *Codex*, ut patet ex collatione *Denis Codd. Theol. V. I. P. II.*

cum *Herib. Rosweydi Vitis Patrum*, *Antverp.* 1628. f. ubi opus nostrum p. 559. *Librum V.* constituit. *Interpres* noster *Pelagius*, quem quidam deinceps sub *Pelagii I.* nomine ecclesiae universae praefuisse volunt, versionem circa an. 550. suscepit. *Sigebertus gemblac.* c. 115. *de Scriptt. eccl. sexdecim illi Capita* sive *Libellos* tribuit; dein vero *quindecim* tantum enumerat. Hunc secutus *Fabricius L. XV. Johannis* Subdiaconi versionem a C. XVII. incipere adferuit. Sed si *Rosweydam* audias, cujus ordo cum *Indice* Codicis nostri plane consentit, XVIII. *Capitulum* *interpres* est *Pelagius*, reliqua ad *Johannem* pertinent. In eo tamen et *Rosweydu* falli videtur, quod *Caput XVIII.* inscriptum *de Praevidentia seu Contemplatione* in duo dividat partem unam *Pelagio*, alteram *Johanni* adsignans; hac enim ratione universum opus *Capitibus XXIII.* constaret, quod tam *Photii*, quam nostro *Indici* repugnat. Ceterum *Johannis* Versio *Rosweydo* *Librum VI.* et Versio *Capitis XXII. Paschasio* tributa *Librum VII.* constituit. *Caput* vero istud in *Indice* nostro non memoratur. *De Pelagio, Johanne et Paschasio* agit *Rosweydu* cit. *Prolegom.* XIV. qui si *Codicem* nostrum nactus fuisset, non leve variantium lectionum spicilegium deprehendisset.

DCLI.

Codex membraneus lat. Sec. 796 XII. Folior. nunc 48. 8. non una manu,

M m m m

manu,